# THEMATA
## Quædam ex ijs breuiter EXCERPTA, QVÆ DE CERta Theologiæ cognitione,ac necessitate: deq; primis eiusdem principijs,& prærogatiuis,in Academia Ingolstadiana, paucis antè diebus publicè sunt exposita.

I. PETRI III.

*Christum Dominum sanctificate in cordibus uestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti uos rationem, de ea, quæ in uobis est spe, & fide.*

CHRISTO DVCE
Discutientur proxima die Veneris, sub octauam.

Ex Officina VVeissenhorniana.

ANNO M. D. LXX.



ἄδηλον

Λὶς, ῥόμβος σημεῖα δύω, τὸ μὲν εὐπαγὲς ἀρχῶν
Δείκνυται ἐν πίστει, τοῦτο δ' αὖ ἐν δαΐδι.

# DE THEOLOGIÆ NECESSITATE.

THESIS I.

*Quamuis naturalis propensio ad cœlestem beatitudinem homini insita sit, tamen quòd ea altior habeatur, quàm quæ humanæ mentis acie perspici queat, necesse fuit, ut eius cognitionem à Deo acciperet.*

II.

*Et quidem ante lapsum eius in peccatum, sat erat, si unde, et quorsum conditus, iterq́;, quo ad propositum sibi scopum pertingeret, non ignoraret.*

III.

*At uerò post uitiatã in primo generis nostri parente, naturam, præter cætera, de contracti morbi conditione, deq́; eiusdẽ remedio ac curatione informari quoq; debebat.*

IIII.

*Quin & alia quædam, quæ fœlix alioquin, et docile ingenium nacti, naturali lumine consequi poterant, diuinitus patefieri consentaneum erat.*

V.

*Quanto aũt studio doctrina hæc à Maioribus tradi, ac propagari debeat, quantaq́; auiditate ab ijs, in quos transfunditur excipi, illud abundè ostendit, quod absq; ea, uia saltem ordinaria, salus non obtingat.*

VI.

*At non æquè tamen perfecta opus est omnibus, sed pro locorum, temporum, ac personarum ratione, maior minorue.*

VII.

*Nec enim in dubium cadere potest, aliam diuinorum mysteriorum cognitionem, ab homine Christiano Christian: inter Christianos educato requiri, aliam à pagano legis Euangelicæ modis omnibus ignaro.*

VIII.

*Etenim huic ad obtinendam primam iustificationis gratiam sat esse existimari potest si duo planè et expressè credat, nempe Deum esse: & diligentibus se renumeratorem esse: illi uerò hæc tam angusta rerum cœlestium cognitio, ut salutis portam attingat, satis esse nequit.*

## De certa Theologiæ, & principiorum eius cognitione, Thesis IX.

Hæc porrò reuelata doctrina, ut omnibus Christianis communis est, fidei nomen sortitur: ut uero certa quadam methodo & ratione, ex propositionibus in Scripturis expreßis, aut cōstanti Ecclesiæ traditione receptis, conclusiones educit, per quas fidei mysteria rudioribus, quantum opus fuerit, explanentur, & ab insanis Sectariorum, et Infidelium furijs defendantur, Theologiæ scientia appellatur.

X.

Sit ne uerò proprij nominis scientia, nec ne, id anxiè peruestigare quid attinet? Nobis sat sit Theologiam absolutè sumptam: Theologiam item Dei & Beatorum scientiam esse modis omnibus perfectam.

XI.

Non discurrunt quidem beatæ mentes nostro more, nec id ut faciant ullum est operæ pretium. Nā ut ueri absolutiq; Theologi dici haberiq; queant, sat est si prima huius doctrinæ principia, omnesq; eorum causas & rationes, & quicquid demum legitima consecutione ex ijs inferri potest, exactè teneant.

XII.

Quin & nostra quoq; Theologia, si id spectemus, quod in unaquaq; arte, & disciplina primatum tenet, cum quauis earum, quæ naturæ lumine hucusq; comparatæ sunt, certare potest.

XIII.

Dices fortaßis scientiam, noticiam esse claram & euidentem: nostram uerò Theologiam obscurā & ænigmaticam, idem aūt clarum et obscurum, creditum & scitum simul esse non posse?

XIIII.

Næ unum & idem simul scitum & creditum eodem modo esse non potest: at uero quod actu creditur, id habitu simul scitum, uel opinatum esse nihil uetat: & contra, quod actu scitum, uel opinatum est, id habitu pariter credi posse quis dubitet?

XV.

Non potest (inquam) fieri, ut unus & idem Deum esse, actu simul credat & sciat: fieri tamen potest, ut alterum actu, alterum habitu teneat: quemadmodum fieri quoq; potest, ut id modo sciat, uel opinetur, quod antea tantum credebat: uel uiceuersa, ut id nunc credat, quod ante solum sciebat, uel

bat,uel opinabatur: siquidem omnes hi habitus,ut inter se differunt,ita à seinuicem seiungi possunt: quamuis id necessum non sit.

XVI.

Imò uerò tantum abest,ut habitus isti, tametsi diuersi, seinuicem impediant,ut maiorem quoq; in modum se mutuo confirment: Multo namq; firmius constantiusq; animi iudicium redditur,cum necessarijs simul & probabilibus rationibus fulcitur, quàm cum necessarijs, uel probabilibus tantum:confirmatius adhuc,si fidei habitus utrisq; accesserit,confirmatissimũ deniq;,si omnia hæc infusum scientiæ,intellectus,uel sapientiæ donum perfecerit.

XVII.

Vt igitur Optice & Musice, & aliæ id genus artes & disciplinæ, sciẽtiæ rationem non amittunt, dum fundamenta, quibus nituntur, aliunde accipiunt, ita Theologia nostra scientia esse non desinit, etiamsi principia sublimioris scientiæ lumine illustrata, sæpe multumq; usurpet.

XVIII.

Interest tamen inter hanc & illas non parum:Nam etsi Optico uel Musico, quibus nituntur fundamentis, euidentia non sunt, arte tamen & studio euidentia fieri possunt. Opticus namq;, qui modò Geometriæ expers est,Geometra fieri quandoq; potest: pari modo Musicus,qui nunc Arithmetices ignarus est, olim Arithmeticus euadere potest: quod si fiat, iam uterq; ea sciet,quæ antea tantum credebat: at uero Theologiæ principia, in uitæ huius curriculo perspicuitatem non admittunt.

XIX.

Quamuis enim in aperto sit,Deum,cùm sit optimus & sapientissimus, nec uelle,nec posse mentiri: atq; ideò si quid indicauerit, id secus, atq; ab eo indicatum est, habere non posse: attamen sit ne hoc uel illud ab ipso indicatum,hoc certò non scitur, sed tantum creditur.

XX.

Verum enimuero,ut maximè et isthuc,& cætera omnia,quæ principiorum loco usurpamus, euidentia non sint, nec ulli facilè in hac mortali uita euidentia euadere soleant, euidens tamẽ est eiusmodi esse,quæ citra ullam temeritatem credi queant: Imò uerò, quæ iure meritoq; ab omnibus credi ac teneri debeant.

XXI.

Nititur autem πιθανότης hæc, & credibilitas gemino fundamento, uno interno, altero externo: Internum est lumen ipsum fidei, seu motus

Spiritus sancti. Externum ea omnia complectitur, quae exterius ad credendum inducunt, ut sunt, fidei propositio: diuinorum uatum certa praedictio: Sanctorum martyrum fortitudo: Christi & Apostolorum miracula, uitaeq; sanctimonia: Ecclesiasticorũ scriptorum, & scripturarum inter se concordia: Legis euangelicae castimonia, sanctitas, & perfectio: ingens credentium multitudo: Christianae religionis, inter tot persecutiones, constantia, & alia id genus complura.

XXII.

Constitutũ sit igitur, coelestis Philosophiae principia, ita obscura & inevidentia esse, ut tamen quàm maximè sunt credibilia: atq; ideò conclusiones, quas legitima consecutione Theologus hinc infert, assensum quauis humana scientia firmiorem generare posse, quamuis minus illustrem.

XXIII.

Etenim scientia, qualem Philosophi definiunt, praeter rerum, quas dicit, certitudinem, notitiae quoq; claritatem sortitur: hac autem Theologia nostra destituitur, licet non sola: caret namq; eadem etiam opinio, & humana fides, quae hoc quoq; Theologiae cedunt, quod fallere quandoq; possunt: tametsi non semper fallant: caret eadem etiam fides infusa, quae hoc à Theologia nostra discrepat, quod haec rationis operi & discursui, illa dicentis autoritati proximè innitatur.

## De singulari doctrinae huius, super humanas artes & disciplinas, eminentia, Thesis XXIIII.

Inter omnes artes et disciplinas, quas humana industria comparauit, siue noticiae certitudinem, siue rerum, quas tractat praestantiam, siue earundem utilitatem spectes, nulla extat, quae cum Theologia conferri queat.

XXV.

Primo namq; omnes humanae artes, scientiae, & disciplinae subobscura rationis luce nixae, circa caduca & naturalia plurimum occupantur, haec diuini luminis radijs illustrata, humanaq;, et caduca omnia latè supergressa, ea de rerum omnium opifice contemplatur, ad quae humanae mentis acies, per se pertingere non potest: mox illae ad mortalium quempiam originem suam referunt: haec immortalem Deum autorem profitetur suum: illae demum ad pietatem & ueram beatitudinem obtinendam parum saepe conferunt: haec uerò, si rectè utaris, maximum ad utrumq; momentum habere solet.

Nam

## XXVI.

*Nam etsi singulis, ut saluifiant, eius, de qua nunc agimus, doctrinæ cognitio necessaria non sit: sat est enim popularibus si Theologiæ participes existant, hoc est si præcipua Theologiæ capita non ignorent, toti tamen Reipub: Christianæ rerum Theologicarum noticia comprimis utilis est, & necessaria: quippe cum absq; singulari illius unius præsidio fidei secreta, neq; rudibus explicari, neq; ab aduersariorum machinationibus commodè defendi ualeant.*

## XXVII.

*Vndè quòd Christiana religio, tantam hoc sæculo cladem, in plerisq; locis accepit, quantam sine graui animi dolore meminisse uix possumus, id magna sanè ex parte eorum inscitiæ, & improbitati acceptum ferre licet: quibus diuinum hoc tuendæ & propagandæ fidei munus concreditum fuerat. Erant enim pleriq; eorum canes muti, non scientes, uel etiam non ualentes latrare, hoc est impijs Sectariorum conatibus intrepidè capita obiectare.*

## XXVIII.

*Sed neq; ullum facilè, aut efficacius, aut ad instaurendam religionem opportunius remedium inuenias, quam si impuris & ignauis sacrorum mystis exautoratis, pastores eruditione, uitæq; integritate commendatos in eorum locum suffici cures: uerum huiusmodi uulgo non nascuntur, sed sudore & sumptibus comparantur.*

## XXIX.

*Mitto hîc unam hanc cæteris omnibus communiorem, & ad formandos mores accommodatiorem esse. Naturales enim scientiæ per se steriles sunt, & frigidæ, & multis erroribus, opinionibus, & inutilibus thricis passim respersæ: quæ proinde, si solæ sint, cultoribus suis fructus pariunt acerbos, & ad uescendum parum idoneos.*

## XXX.

*Sed & sæculi Philosophia perpaucos semper, & parum constantes sectatores habuit, undecunq; tandem illa raritas, & inconstantia prouenerit: Theologia uerò terrarum orbem ditioni suæ subiecit: semelq; subiectum admirabili constantia sub legibus suis hucusq; tenuit.*

## XXXI.

*Hæc cum ita habeant superuacaneò fortassis in quæstionem uocatur, doctrina ne hæc scientia dici debeat, an sapientia: practica item an theorica: potest namq; quiduis eorum iure optimo dici ac haberi,*

*ut quæ*

*ut quæ una existens omnium istorum habituum partes eminenter in se contineat, & expleat frequenter.*

XXXII.

*Nam, ad praxim quod attinet, non solum multa, & sanctissima uitæ documenta tradit, queq; ad mores humanæq; uitæ actiones faciunt, accuratè præscribit, uerum ea etiam, quæ à seculi sapientibus, uel perperam, uel minus absolutè, ea de re tradita fuerant, corrigit, emaculat, & perficit.*

XXXIII.

*De nobili Philosophiæ sacræ theoria, nulla penè inter doctos est controuersia: concedunt enim palam oẽs non ea modo per Theologiam perspici: quæ naturali ratione perspici nullo modo possunt, uerum ea quoq;, quæ de mundi creatione, de Dei prouidentia, de animæ immortalitate, de intelligentiarum natura, de bonorum præmijs, & sceleratorum pœnis, prioribus seculis ab illustrioribus Philosophis exposita fuerant, multo postea fœlicius, multoq; accuratius à Scholæ Patribus tractata, & explanata esse.*

XXXIIII.

*Sed & primis Theologiæ principijs, hoc est fidei articulis, positis, plura de Deo, necessaria demonstratione, et meliori ordine, pluribusq; et scitu dignioribus conclusionibus colligit Theologus, quàm ullus omnino Physicus aut Metaphysicus.*

XXXV.

*Imo uerò, quæ Physicus uel naturalis Theologus parum firmis rationibus ex suis principijs ostendit, hæc Theologus ex doctrinæ huius fundamentis potentissimis, inuictissimisq; argumentis euincit. Et quæ ille demonstrare cuperet, nec commodè tamen potest, hæc iste positis Philosophiæ huius principijs, luculenter edisserit.*

XXXVI.

*Quod si infuso scientiæ, uel sapientiæ dono, Theologiæ habitus perficiatur, tum demum admirabili lumine mentem perfundit: Sed tamen, si hoc non fiat, non ideo desinit esse contemplatrix scientia: multi enim insignes Theologi extiterunt, & etiamnum extant fortaßis, qui, ut gratia Christi, ita utroq; illo dono destituuntur, nec ob id tamen desinunt esse Theologi: multum namq; Theologia differt ab infusa scientia, uel sapientia.*

XXXVII.

*Etenim Theologia nudam tantum rerum diuinarum intelligentiam ponit, atq; ita prauas sæpe mentes inhabitat, uel saltem inhabitare potest: non secus*

ſecus atq; Prophetia, & alia quædam dona gratis data: at uerò ſapientiæ dono ita probi & Sancti uiri rerum æternarum pulchritudinem, & eminentiam contemplantur et penetrant, ut ſimul quoq; ſuauiſſimo earum ſapore capiantur.

XXXVIII.

Quod ſi Theologia nullum aliud commodum adferret, quam quòd, quæ fidei conſentanea, quæ rurſum eidem diſſentanea ſunt, edocet, adhuc cæteris artibus & diſciplinis tantum præſtaret, quantum præſtat, in diuinis rectum iudicium habere, quàm in alijs quibuſuis inferioribus non deſipere: uel potius quantò periculoſius eſt in fide Catholica errare, pendere, uel hallucinari, quàm in profanis à rectitudinis tramite deflectere.

XXXIX.

Hactenus itaq; oſtenſum eſt Theologiam, non ſolùm ſcientiam eſſe contemplatricem, & practicam, cæteris omnibus abſolutiorem, commodiorem, & certiorem, uerum etiam ſapientiam, & eam quidem talem, ut nulla inter reliquas omnes inueniatur, quæ præ illa ſapientia, ut hoc nomen à Philoſophicis uſurpatur, dici debeat.

XL.

Cæterum quòd doctrina hæc præcipuas, & ualidiores rationes ſuas ex autoritate ducat, id dignitate illius nihil quicquam derogat, cum teſtimonia, quibus illa principiorum loco utitur, omnium aliarum ſcientiarum principijs longè præſtent: ſunt enim hæc certiſſima, & fallere omnino neſcia.

XLI.

Sed & neceſſaria quadam ratione compulſa id facit: nam & intellectus noſter ad percipiendas res tam ſublimes tardus admodum & ignauus eſt: & incidunt præterea quæſtiones facti, & circa res ſingulares poſitæ, quæ dictorum factorumq; teſtimonijs, ſi quo alio, commodiſſimè diſceptari conſueuerunt.

XLII.

Eadem ratione adducta, crebris quoq; metaphoris, allegorijs, ac parabolis utitur: quamuis alias etiam & quidem graues & multas, cur id faciat, cauſas habeat.

## De his, quæ ſub ſcientiæ huius conſiderationem potiſſimum cadunt, Theſis XLIII.

Ad obiectum porro, ſeu materiam huic ſcientiæ ſubiectam, quod ſpectat

 eſt id

est id idem ferè quod fidei, nempe Deus, & cætera, quæ ad ipsum referuntur. Quod si latius patere uoles, quodcunq; per diuinam reuelationem acceptum, siue illud homo sit, siue Angelus, siue aliud eiusmodi quiduis Theologiæ considerationi subijcias, licet.

XLIIII.

Inter omnia autem arcem tenent prima religionis nostræ capita. Ex his namq; uarij generis conclusiones, rationis opera colliguntur, collectæq;, & certa quadam methodo in unum ordinem redactæ, Theologiæ corpus absoluunt.

XLV.

Cæterùm sint ne capita isthæc multa, an pauca, certo item; uel incerto numero comprehensa, id definire ad præsentis disputationis scopum non spectat. Satis compertum est, si ibi nouum constitui necessum est, ubi noua & peculiaris credendi difficultas sese obtulerit, certo numero comprehendi uix posse: cum id sæpe uni facile uideatur, quod alteri difficile, & uice uersa.

XLVI.

Sed nec illud quoq; obscurum est, qui singula minutim à seinuicem seiungere uellet, numerum duodenarium multo interuallo post se relicturum esse: Rursum qui plura in unum conflare studeret, huc facile peruenire non posse.

XLVII.

Misso proinde numero, de eorum firmitate hoc adiecerim, nihil omnino referre, proximè ne à Deo, an per aliquem Dei internuncium orbi Christiano patefacta fuerint. Nec enim ille per se solum loquitur, uerum etiam per Angelos, Pontifices, cæterosq; quibus ipse, ut loquantur, spiritum suum impertit.

XLVIII.

Vnde non minus roboris tribuendum est ijs, quæ per uniuersalis Ecclesiæ definitionem, aut constantem eiusdem traditionem, aut Pontificis Maximi legem, uel sanctionem accepta tenentur, quàm quæ quouis modo ex scripto Dei uerbo colliguntur.

XLIX.

Materiale itaq; & remotum Theologiæ subiectum est illud, quod diximus, res uidelicet quæ creditur: Formale uerò & propius, credendi ratio, diuina nimirum uox, uel reuelatio: Proximum autem maximeq; formale, & proprium, dicentis autoritas, aut, quod in idem redit, indubitata asseuerantis ueritas. Credimus, inquam, hoc uel illud, quia dictum uel reuelatum est, dicenti uerò Deo uel reuelanti fidem habemus, quia prima ueritas est.

Cæterum

L.

Cæterum hoc uel illud reuelatum esse, id à nonnullis quidem clarius, quàm per fidem cognoscitur, ab alijs uero simpliciter creditur: ab ijs, inquam, clariore quàm fidei lumine cognoscitur, qui scientiæ, uel intellectus donum, uel lumen quoddam medium, in quo clarius hoc cernant, infusam habent: ab ijs uerò, qui mentis aciem ita illustratam non possident, non scitur, sed tantum creditur.

## De Theologiæ ui & usu.

Thesis LI.

Quia uero Theologia nostra, non solum practica & speculatiua scientia est, uerum etiam inter omnes eius ordinis artes, & disciplinas principatum tenet, hoc sibi uendicat, ut cum ijs, qui prima ipsius principia, hoc est fidei articulos repudiant, certamen non detrectet.

LII.

Non potest quidem omnes, cum Ethnicis, qui Scripturas nullas, nullos Patres, aut Ecclesiasticas traditiones recipiunt, disceptans, euidentes facere: at potest tamen bonis, & quæ cum multis Aristotelicis conferri ualeant, rationibus, non omnino obstinatis eos utrunq; persuadere: potest præterea falsas Sophistarum rationes, quibus oppugnatur, refellere: earundemq; infirmitatem in lucem producere: potest demūq; positis, quæ nemo ratione utens, negare potest, eorum, quæ credimus, & in hac scientia, tanꝗ fundamenta sumimus, ueritatem generatim ostendere.

LIII.

Sed nec opus est perspicua ratione omnia, quæ hic traduntur, demonstrari, cum id in alijs permultis, quæ cum harum rerum pondere, & dignitate comparari nequeunt, sæpe fieri non ualeat. Occurrunt enim innumera penè in humana societate, quæ credi possunt, euidenter doceri nequaꝗ.

LIIII.

Ecquis enim inter homines constaret conuictus, quod parentum & liberorum inter se studium, quæ humanorum contractuum & negotiorum firmitas, quæ artium & disciplinarum tractatio, quæ rerum præteritarum cognitio, uel temporum obseruatio, quæ demūq; rituum & cæremoniarum ratio, si id tantum recipiatur, quod oculis cernitur, aut certa demonstratione ostenditur?

## LV.

Dices nihil horum omnium rationis sensum superare, atq; ita, ut falsa quandoq; sint, pro ueris tamen haberi posse: fidei uero mysteria, ex quibus Theologus argumentationem texit, omnem omnino sensum, omnemq; mentis cogitationem plurimum excedere.

## LVI.

Sit ita? at ita esse debuit, in ijs praesertim, quae de Deo citra rationis euidentiam credumur. Nam cum Deus Opt. Max. rationem omnem superet, supraq; omnem naturam, & cogitationem existat, necessum fuit, ut multa ei conuenirent, quae humanae mentis captum excederent: nostri enim intellectus angustijs tanta res comprehendi non potest.

## LVII.

Quod si humana ratione Dei opera comprehendi, qualisq; & quantus esset ipse, à nobis intelligi posset, Deus profectò uerè Deus non esset: perangustum est enim omne illud, & diuina maiestate infinitis partibus minus, quòd intellectus noster, de Deo per se capere potest.

## LVIII.

Neq; tamen quia eiusmodi sunt isthaec, ideo etiam pro uanis, aut fide indignis habenda sunt: sunt enim omnia & singula fide dignissima, utpote non solum unanimi totius Catholicae & Apostolicae Ecclesiae, quae columna & firmamentum ueritatis est, consensione iam olim recepta, longoq; & constanti eiusdem usu approbata, uerum etiam multis saepe, & magnis rerum miraculis confirmata.

## LIX.

Inter quae sanè non pro minimo habendum est, duodecim abiectae sortis homines, omni humana sapientia, & potentia destitutos, ea saeculi sapientibus, uentriq; & carni deditis hominibus persuadere potuisse, à quibus commune hominum iudicium abhorret maximè.

## LX.

Ecquid enim ab humano sensu alienius, quam hominem in crucem actum adorare? praeq; illius unius cultu, & amore uitam, fortunasq; omnes, & omnia mundi huius commoda flocci facere? famem, sitim, frigus, summamq; rerum omnium egestatem, summarum delitiarum loco habere? pro persequentibus & calumniantibus ardentes preces fundere? in aduersis laetum, in prosperis tristem sese praebere? etc.

## LXI.

Fatendum est tamen, & fatemur ingenuè, tam haec, quàm reliqua omnia, quarum

*quarum hactenus meminimus, generatim tantum Christianæ religionis firmitatem, & sanctimoniam ostendere: singula porro illius capita, si quidem cum pagano quopiam disceptandum fuerit, defendi ac declarari possunt: apertè uero demonstrari, ut supra identidem monuimus, non item.*

LXII.

*Quod si uero cum eiusmodi certamen susceptum sit, qui præter diuinam Scripturam, sanctorum Patrum quoq́ue, & uniuersalis Ecclesiæ autoritatem non recuset; nullum extat, quod euidenti ratione probari non ualeat.*

LXIII.

*Cæterum Theologiæ munus, non id solum est, quod modo exposuimus, nempe principia sua contra negantes, aut impugnantes defendere, aliasq́ue & alias conclusiones, quæ ad rem Christianam tuendam & illustrandam faciant, rationis ui inde colligere: uerum etiam internis externisq́ue scientiæ huius præsidijs, & adminiculis adhibitis, ualidè utrumq́ue communire.*

LXIIII.

*Interna & propria Theologiæ præsidia eas rationes appellamus, quæ petuntur ex Scriptura Canonica: ex fida Christi & Apostolorum traditione: ex Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ autoritate, ex Conciliorum generalium, Romanorumq́ue Pontificum Canonibus: ex ueterum deniq́ue & recentiorum Patrum, Theologorumq́ue monumentis.*

LXV.

*Externa, & quasi ex alieno fundo emendicata, ea dici possunt, quæ sumuntur ex naturalium Philosophorum placitis, ex Iureconsultorum responsis: nam & ipsi quoq́ue inter ueræ Philosophiæ Professores censeri uolunt: ex rerum gestarum commentarijs: ex ipsis demum humanæ rationis opibus.*

LXVI.

*Etenim cum duplex sit argumentandi genus: alterum autoritate nitens Theologo proprium, alterum ratione instructum Philosopho peculiare, si priori & proprio uti non datur, quod priori proximum est Theologus arripiens, pro autoritate, ratione se defendit: sæpe tamen utrumq́ue probandi genus simul coniungit.*

LXVII.

*Hinc patet stultam eorum esse sapientiam, qui de Theologico quopiam argumento uerba facturi, Patrum, Conciliorum, & Scripturarum autoritate, ueluti parum firma repudiata, ratiunculis tantum ex naturali Philosophia emendicatis, disceptant. Non enim intelligunt μωρόσοφοι illi,*

*locum ab autoritate Theologiæ ita proprium esse, ut rationes pleras&q; omnes, quibus utitur, ueluti aduenas & peregrinas hospitio suscipiat.*

LXVIII.

*Porro autem inter interna Theologiæ præsidia hoc interest: quod argumenta ex sacrarum literarum autoritate, Catholicæq; & Apostolicæ Ecclesiæ definitione, & perpetua constantiq; eiusdem Ecclesiæ traditione ducta, non solum sint propria & interna, uerum etiam necessaria: Sumpta uero ex Sancti, uel Patris cuiuspiam doctrina, cuiuscunq; demum ordinis, sanctitatis, uel autoritatis extiterit, probabiliter tantum concludunt. Temerarium tamen esset, à plurium Sanctorum P. iudicio, præsertim in Scripturarum interpretatione, longius recedere.*

LXIX.

*Grauiter proinde & periculose errare conuincuntur, qui D Hieronymum testamentariarum Scripturarum regulam facientes, illos tantum libros inter Canonicos haberi uolũt, quibus idem Pater aliud fortaßis agens, Canonicorum nomen alicubi imponit.*

LXX.

*Enimuero ex solius Hieronymi autoritate non ducitur argumentum necessarium, sed tantum probabile: sed ne probabile quidem semper, sed tum demum, cum à receptiore reliquorum Patrum sententia, haud procul abscedit.*

LAVS DEO.

*Amice Lector, ne in tantillo opusculo aliquid spacij reliquum fieret, placuit hoc loco adscribere, quid de sacrarum literarum obscuritate D August. alicubi tradat, ut uel hinc quoq; studij Theologici utilitas, & Sectariorum uanitas manifestior fiat.*

*Cum legerem (inquit Honoratus) per me ipse cognoui. Ita ne est? (inquit Augustinus) Nulla imbutus poëtica disciplina, Terentianum Maurum sine magistro attingere non auderes. Asper, Cornutus, Donatus, & alij innumerabiles requiruntur, ut quilibet poëta poßit intelligi, cuius carmina & theatri plausus uidentur captare: tu in eos libros, qui quoquomodo se habeant, sancti tamen, diuinarumq; rerum pleni propè totius generis humani confeßione diffamantur, sine duce irruis, & de his sine*

*præceptore*

*præceptore audes ferre sententiam: nec si tibi aliqua occurrunt, quæ uideantur absurda, tarditatem tuam & putrefactum tabe huius mundi animum, qualis omnium stultorum est, accusas potius quàm eos qui fortaßè à talibus intelligi nequeunt? Quæreres aliquem pium simul & doctum, uel qui talis esse multis consentientibus diceretur, cuius & præceptis melior, & doctrina peritior fieres. Non facilè reperiebatur, cum labore inuestigaretur: Deêrat in ea terra, quam incolebas: Quæ causa utilius cogeret peregrinari?* Tom. VI. de *utilit. credendi, cap.* VII.

Præside Doct. Peltano.

DEFENDIT D. MARTINVS Dornerus, Artium liberalium Magister, Pastoris Mariani, apud Ingolstadianos, Synergus, & Sacellanus, nec non SS. Theologiæ studiosus etc.